tollere ſolet. *Hæc Benivenius.* In levi ejuſmodi Epilepſia quin Sternutatio proſit, dubitare non licet. quæ non inconvenienter quoque per Sternutatoria provocatur, in declinatione paroxyſmi quatenus ſternutando contingit illa diſcuti, quæ ex accidenti aliàs Epilepſiam (ut jam antea oſtenſum fuit) procurare ſolent. Verbum eſt Plateri: *Sternutatio ut caſum Epilepticum interdum præcedit, ita non nunquam eundem finit.*

CAPUT VIGESIMUM SEPTIMUM.

Sternutatoria medicamenta an & quatenus Apoplecticis adhiberi debeant.

APoplexia, quæ juxta Tertullianum lib. de Anima cap. 10. *mentem prodigit*, gravis admodum morbus eſt. Atque ſi vera & in gradu intenſiori gravis fuerit, ægri ex admonitione Hippocratis à Medico, in Prognoſtico ſunt relinquendi, nec tutum eſt ad alia remediorum genera accedere Theodorus Priſcianus Log. cap. 7. pag. 76. *De his* (inquit) *Apoplecticis, Hippocrates, noſtræ hujus profeſſionis auctoritas ſic ſua ſententia judicavit:* Apoplecticos, *inquit*, gravi ictu percuſſos nullo pacto penitus curari poſſe: leviores attamen, licet difficile, liberari. *Huic ego etiam obediens, hos ſic ſuadeo viſitari, ut eos, quos ſine ſenſu penitus inſpexero*

ſpexero jacentes & nimium frigidos, plena eos deſperatione pronuntiem. Nam ut verè Celſus dicit: *Prudentis eſt hominis eum, qui ſervari non poteſt, non attingere, nec ſubire ſpeciem ejus ut occiſi, quem ſors ipſius peremit.* Debili Apoplexiæ ut manum admovere ſolent Medici; ita inter alia remedia Sternutatoria adhibere. Quæ quando, & quomodo præſcribi debeant, paucis verbis præ aliis docuit Nymannus lib. de Apoplexia cap. 39. *Poſtquam per venæ ſectionem* (inquit) *ſanguinis copia detracta, & adhibitis clyſteribus corpus probe purgatum fuit, ad particulares capitis evacuationes, maxime eas, quæ per* Errhina & Ptarmica *fiunt, confugere licet: eſtque imprimis laborandum, an forte Sternutatoriis cerebrum irritari poſſit, ut, ſi non ſenſu animali, &c. tamen naturali ad expulſionem aſſurgat, cauſſamque morbificam expellat. Haberturque pro bono ſigno, ſi poſt eorum uſum æger ſternutet.* Sed, ut ex accidenti Apoplectico Ptarmica medicamenta prodeſſe poſſunt; ſic neutiquam per ſe ſubmovendæ cauſſæ, à qua provenit, ſufficiunt. Ingruere enim Apoplexia ſolet, quando cerebri arteriæ æquo tumidiores ſanguinem emittunt. Verum, ut jam antea patuit, Medicamenta Sternutatoria neutiquam ad Cerebrum penetrant, tantum abeſt, ut ſufficiant diſſolutioni ſanguinis, ex arteriis profluí & concreti. Eoque liquet, quo loco haberi de-